DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SALUBRITATE AQUÆ PURÆ, AD…

Karl Anton Gerstner, Johann Anton Joseph Scrinci

GLORIOSISSIMÆ COELI REGINÆ, POTENTISSIMÆ MUNDI DOMINÆ, VIRGINI DEIPARÆ MARIÆ.

PRæter eam, quæ cum univerſo humano genere in reparata Salute a TE, CLEMENTISSIMA COELI, TERRÆQUE DOMINA! communis mihi uberrime impenſa eſt gratia; alias jam ipſa incunabula mea; alias puerilis; alias, casque expectatione mea, meritisque majores excepit hæc ætas mea; quas cum animo revolvo, earumque magnitudinem, numerum,

mea vero etiam demerita penſiculatius excutio, una hæ me cura dies pene, noctesque omnes angit, ut erg Ducem, Principem, & Auctorem Fortunarum quan tularumcunque meatum ſat memor, gratusque judica Atque ut palam, & ingenue, quod TE minime late fatear, hæc me una invidia tangit, cum alios vide ſumptuoſa templa; alios marmoreos, ebumeosque co loſſos; alios aureas, argenteasque aras Glorioſiſſim Nomini Tuo exſtruere, mihi hactenus nonniſi puſillu hoc, tenueque opus, in gratiſſimi animi ſignificationen inſcribere liceat. Erigit me tamen MATERNUS TUUS Benevolentiæque pleniſſimus SINUS, quem dona, vo taque Clientum non tam ex pretio & magnitudine quam affectu, penſare novi. Quare ad Sacratiſſima Aras TUAS profundiſſime advoluto indulge! has Theſe medicas adſternere, quas pietatis in TE meæ, obſer vantiæ, cultus, gratiſſimæque memoriæ monumentun ſempiternum eſſe cupio.

Clientum indigniſſimus.

QUAM ſupervacaneum videri merito poſſit. A. A. Si dicam de conatu illo, ſtudiove, quo Medici quam plurimi omnis fere retro ætatis inveniendo vitæ quam diutiſſime protrahendæ arcano inſudarunt: tam jucundum vobis atque optatum, nec minus utile fore confido, ſi ex una parte vaniſſimas, ut cum magno Boerhaavio loquar, jactantias ejusmodi Medicorum & remediorum, quæ ſub ſpecioſis titulis Lapidis Philoſophorum, Tincturæ Auri, Entis primi Cedrini Helmontiani, Elixirii proprietatis Paracelſi, aliorumque Arcanorum ad longævitatem commendantur, vobis oſtendam; ex altera vero genuinum fontem aperiam, unde Salutis veſtræ aquas, certiſſimum, inquam, vitæ ad ultimum usque terminum prolongandæ ſubſidium hauriatis. Enimvero tantum abeſt, ut vera quadam ratione, aut Experimentorum fide ejusmodi Arcanum comprobatum habeamus, ut confidenter affirmem, illud Divinæ Sapientiæ, & Bonitati repugnare: Nam ſupremum Conditorem vitæ terminos Mortalibus conſtituiſſe, & medium ad eosdem conſequendos tantum Medicis, atque ex tanto numero pauciſſi-

 mis,

mis, aut ex ignaris medicinæ ditioribus duntaxat, qui jactatum tale Areanum auri pretio ſibi comparare poſſunt, conceſſiſſe, quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat? quis ita ſentire auſit de infinita Dei Sapientia & Bonitate?

Hac ſola ratione, ut taceam plures alias, ſatis ſuperque evictum puto, longævitatis remedia alia non eſſe, quam quæ Mortalibus omnibus a Deo ter optimo Maximo ſunt conceſſa, Res nimirum diætæticas, in quibus continuo verſamur omnes, quotquot vivimus.

Ex his ego Rebus diætæticis unam duntaxat aquam puram depromam hodie, atque oſtendam, eandem pro quotidiano potu, & temperamentorum diverſitate prudenter adhibitam, moderate frigidam, princeps longævitatis remedium eſſe, atque adjumentum, quia aptiſſimum conſervandis quam diutiſſime conditionibus ad vitam requiſitis ſolidorum, ſeu organorum: hæc prima: liquidorum vitalium: hæc altera orationis pars. Argumentum hoc (fateor) frigidum plane, & inſipidum eſt, quia totum aquoſum, ob inæſtimabilem tamen vitæ prolongandæ theſaurum haud levidenſe, ratione proin, non guſtu, dijudicandum.

ANtequam moriendi neceſſitatem mortalibus omnibus in prima creatione a Supremo Conditore velut implantatam, e cujus cognitione longævitatis remedia deducenda ſunt, vobis ante oculos ponam. A. A. Huic diſquiſitioni ad clariorem dicendorum intellectum genuinam mortis Idæam præmittendam duxi.

Eſſentiam mortis ſi conſidero, una eademque eſt omnibus, cordis videlicet, arteriarum, totius ſanguinis, fluidique

nervei, quias irrevocabilis, hinc mutui commercii inter corpus & animam, unde humana dicitur vita noſtra, diſſolutio. Si cauſas mortis perpendo, mille ſunt modi, mille figuræ moriendi, ac tot veluti mortes, quot morbi, aut violentiæ externæ. Sed de morte morboſa & violenta hic verba facere alienum foret a propoſiti mei ratione. Mortem duntaxat naturalem in præſenti paucis delineabo, ut, quanta aquæ vis ſit ad eandem diutiſſime arcendam, ad oculum eluceſcat.

Ut prætermittam inanes veterum hypotheſes de cauſa mortis naturalis, humidi nempe radicalis conſumptione, calidi innati diſſipatione, flamulæ vitalis cordis diſſlaminatione, ex ipſa ſtructura partium corporis noſtri ſolidarum per continuas vitæ diuturnæ actiones ſenſim mutata, ſcilicet nimia tandem fibrarum rigiditate, denſitate, inflexibilitate, vaſculorum minorum ex iis conflatorum fere omnium concretione, majorum ex minoribus vaſculis conſtructorum contractione, increſcente ſenſim immobilitate, rationem ſeu neceſſitatem naturalem mortis ſenilis inevitabilis petendam eſſe, facile profecto evincam. A. A. Si rationes modo proponendas acutiore mentis oculo perſpexeritis.

Omnis pars ſolida Machinæ humanæ hydraulico-pnevmaticæ a Sapientiſſimo Conditore tam admirando conſtructa eſt artificio, ut ex aliis minoribus conſtaret partibus, majori quam ſimillimis, fibræ ex fibrillis, muſculi ex aliis minoribus & minoribus, vaſa ex vaſculis, donec ad ultima perventum fuerit. Id acutiſſimi Anatomici, Malpighius, Ruyſchius, Levvenhoekius, Hookius, aliique artificioſis partium diviſionibus, ac liquorum in minutiſſima vaſcula injectioni-

bus ad oculum demonſtrarunt. Hæc autem partium corporis noſtri in minores & minutiſſimas diviſibilitas requirebatur neceſſario ad earundem flexibilitatem, flexibilitas ad motum vaſorum & humorum; ſiquidem, ut rem exemplo declarem, arteria ſanguinem, a corde propulſum, nec recipere poteſt, niſi dilatata, neo eundem per convergentium canalium anguſtias urgere, ac propellere, niſi conſtricta, & quod inde evidenti illatione conſequitur, nullum exercere motum, ſeu actionem vitæ, niſi flexilis, quia, ut talis arteria flexilis ſit, ſeu dilatari poſſit, ejus membranam non unam indiviſibilem maſſam, ſed ex aliis minoribus, ac facile flexilibus, vaſculis totam fabricatam eſſe neceſſe eſt.

Perſpecta flexibilitatis vaſorum ad vitam neceſſitate, ratio mortis naturalis in promptu eſt.

Cor primorium vitæ organum, quavis ſyſtole ſeu contractione ſanguinem in omnia vaſa ſanguifera propellit. Idem motus humorum, à corde impulſorum, omnia vaſa implet, renitentia urget, diſtendit. Vaſa majora, aucto per ætatem cordis vitæque robore, à ſanguine, in adeptis dimenſionis ſuæ terminum jam copioſiore, jam vehementius diſtenta, canales minores & minimos, qui majorum membranas efficiunt, ſenſim comprimunt, expreſſis repetito compreſſu liquidis, exſiccant, impervios reddunt, conſolidantque. Concretis itaque vaſculis minimis, majoribus vero per auctam rigiditatem nimium anguſtatis, imminuto ſenſim per vaſcula cerebelli anguſtiora ſpirituum influxu, cor debile evacuando in vaſa adeo reſiſtentia ac contracta ſanguini magis magisque impar, tandem penitus oppreſſum placidiſſime conquieſcit.

Hunc compreſſum attritumque vaſorum minorum phyſiolo-

by Google

ſiologice demonſtratum, ut rigiditatis ſenilis, ac in ea fundatæ neceſſitatis naturalis moriendi cauſam, certiſſima illuſtrant obſervata in corporibus tam hominum, quam brutorum.

In hominibus, qui duris manuum laboribus diu exercitati ſunt, cutis craſſa, calloſa, in volis manuum quam aliam cauſam evidentius probat, niſi compreſſum attritumque cutis, & vaſculorum ejus? Aſt quid alieno opus eſt exemplo ad dilucidandam veritatem, quam in ſuo quisque corpore ſuismet haurire oculis poteſt? Calloſam cutis rigiditatem in plantis pedum intelligo, evidenti compreſſione per motum & pondus corporis incumbentis productam.

In brutis ſeu ſenio confectis, ſeu duris aratri laboribus diu fatigatis, rigiditas carnium vix dentibus ſuperanda non minus evidens effectus eſt attritus externi internique, vaſa comprimentis, compingentis. Jam vero, ut ad Diſſertationis Scopum propius accedam, nemo veſtrum ullus inficiabitur, id retardandæ rigiditatis ſenilis, ſeu quod idem eſt, prolongandæ vitæ princeps remedium jure merito dicendum eſſe, quod rigiditatis cauſis duriſſime, quam poſſibile eſt, arcendis par ſit. At vero hanc vim ſalutarem aquæ, communi omnibus Elemento, a providentiſſimo Conditore inditam fuiſſe, haud leviculis, opinor, Argumentis contendam: Dum ejus virtutes conditionibus organorum & humorum ad impediendas rigiditatis cauſas requiſitis, aptiſſimas, penitius examinabo, & quidem in prima hac parte virtutes aquæ, quatenus ſolida ſeu organa reſpiciunt.

Has inter virtutes aquæ prima ſeſe offert nobis virtus fibras leniens, ſeu emolliens ſumma. Corium rigidiſſimum,

 atque

atque intractabile, ſoli aquæ tepidæ aliquamdiu immerſum, molleſcit brevi, quemadmodum etiam cito iterum rigeſcit exſiccatum. Cutis in plantis pedum indurata pediluvio tepido, per breve tempus applicato, emollitur. Cornua cervi duriſſima vapore aquæ tepidæ diuturniore emolliri penitus Medicis notiſſimum eſt. Omitto complura alia experimenta: Dum ex propoſitis evidenter liquet, mollitiem humani corporis a parte aquoſa, humorum ferme unice dependere.

Neque ab experimentis Ratio Phyſico-Medica abludit: Habet enim aqua pura, nullisque inquinata notabili ſaltem copia Heterogeneis (de hac tantum loquor) indolem blandiſſimam, inſipidam, omnis ſtimuli ſalini, quo carnes animalium indurari experimentis oeconomicis conſtat, expertem, fibris facile adhærentem, eas nihil irritantem.

Si igitur directis adeo experimentis omnino tribuendum putetis. A.A. Corpus externum aqua tepida laxari poſſe, quod pro judicii veſtri æquitate ac perſpicacia a vobis mihi concedi ſentio: Eritne, qui neget aquæ utilitatem ad corporis interni fibras ſtrictas emolliendas, vaſa contracta relaxanda, concretiones eorum præcavendas, potiſſimum ad impetum liquidi arterioſi, qui principalem cauſam agit vaſa comprimentem, rigida efficientem, corde paululum laxato temperandum? Nec obſtat ſalubritati emollienti aquæ ejus frigus moderatum, in propoſitione conceſſum, utpote quod calore ventriculi & inteſtinorum amendatur, antequam aqua has vias percurrerit: Dum præterea aqua temperate frigida ventriculum minus debilitat, quam tepida. Modo aqua etiam temperatiſſime frigida, corpore calefacto non hauriatur, quo caſu non tantum aqua, ſed etiam quivis alius potus actu frigidus,

dus, licet potentia calidus, grave damnum corpori inferre facile poteſt.

Humectans vis ſoli aquæ propria eſt, & cum emolliente in effectu in partes ſolidas convenit, per id tantum diverſa, quod humectatio ſolidorum præter emollitionem ſimul involvat nova in vaſis liquida aquoſa, quæ antea abſuere, quæ mutatio in emollitione ſolidorum per ſe conſiderata non contingit.

Cum itaque ſoli aquæ proprium ſit humectare, conſequitur, quod forte mirum vobis videbitur, nec Vinum, nec Cereviſiam, imo nec Lac, aut aliud liquidum, quod ſimplex aqua non eſt, humectare, qua tale, ſeu per ſe, ſed tantum per aquam in eo dominantem. Demonſtratur facile: Quia aqua lento calore evaporata, liquores præfati in ſicca & ſolida corpora mutantur, teſte experientia. Accedit quod aquoſa exiliſſimos quosvis canales humectando emolliant; oleoſis proin ad arcendam rigiditatem ſenilem quam longiſſime præhabenda. namque oleoſa minimis vaſis pervadendis plane inepta ſunt, hosque canales obſtruunt, ut Practicos non latet.

Quid denique dicam de virtute aquæ vaſa omnia penetrante, aperiente? Campum hic ſuſpicio demonſtrandæ ad retardandam rigiditatem ſenilem ſalubritatis aquæ ampliſſimum. Argumentis Phyſologicis, atque Experimentis Anatomicis, nec non obſervatis Practicis, demonſtratum habemus, dari in humano corpore plures vaſorum convergentium ſeries, cavitatis diametro decreſcentes, quarum ſinguli proportionatum humorem vehunt, diametro vaſis decreſcentis reſpondentem, hinc tenuiorem, & tenuiorem. Sanguis ruber naturaliter tantum vaſa ſanguifera, ſeriem ner de-

creſcen-

creſcentes vaſorum ſeries maximam permeat, --vaſa ſeroſa, quæ ſanguiferis anguſtiora ſunt, non intrat. Pariter ſerum, liquidum ſanguine rubro notabiliter tenuius, tantum vaſis ſeroſis permeandis naturaliter aptum, vaſa lymphatica utpote ſeroſis minora, non ingreditur, uti nec Lympha reliquas vaſorum conicorum, ſeu convergentium ſeries minores, ſeu decreſcentes.

Porro notatu dignum eſt, omnia corporis noſtri vaſa, inprimis minora, niſi a liquidis transfluentibus continuo diſtendantur, ac aperta ſerventur, collabi, ſeu potius elatere proprio conſtringi, ſicque, concretis ſenſim parietibus concreſcere. Ex quo id ego conficio: Si ſeries vaſorum, quo magis decreſcunt, eo exiliores, ac tandem exiliſſimæ evadunt, etiam liquidum, quod eaſdem permeare poſſit, eſſe debet tenuiſſimum. Sequela evidens eſt, lumine rationis naturalis. Reſtat ergo demonſtrandum, aquam puram liquorem eſſe omnium tenuiſſimum, hinc ad præcavendas quam longiſſimo tempore vaſorum minorum concretiones, unde rigiditas ſenilis dependet, aptiſſimum. Etenim illud liquidum communi Phyloſophorum & Medicorum conſenſu tenuiſſimum cenſetur, quod ſimpliciſſimum, ſeu homogeneum, unaque politiſſimum, blandiſſimum nempe, ſeu nihil ſcabrum, aut ramentoſum eſt. Aquæ puræ ſimplicitatem ſeu homogenitatem demonſtrat ejus indiviſibilitas in particulas minores ab aqua diſtinctas. Aqua pura in tenuiſſimum vaporem reſoluta ſemper aqua manet. Igne fortiſſimo ad ſenſum conſumpta, ſi ejus ſubtilis vapor lævigata cujusdam objecti ſuperficie excipiatur, prior aqua apparet. Corporibus diverſiſſimis, & duriſſimis mixta, dein artificio chemico iterum extracta,

ſtacta, priorem indolem omni aquæ propriam retinet. Verbo, nullo hactenus experimento excogitabili aquoſæ particulæ corrumpi, id eſt in minores non aquoſas dividi unquam potuere.

Indolem aquæ poliriſſimam, ſeu nihil prorſus ſcabram, aut ramentoſam, hinc blandiſſimam & ſphæricam, id ſatis evincit: quia Organa ſenſuum guſtus & odoratus nihil prorſus afficit, ſed inodora & inſipida hinc nullo ſale, aut ſulphure prædita eſt: His enim particulis ſublatis, aqua Roſarum, Violarum, aut quæcunque alia, etſi fragrantiſſima, omnem ſaporem ac odorem perdit, hinc ſimplex aqua evadit.

Hanç de particularum aquearum ſuperficie politiſſima veritatem omnium luculentiſſime confirmat experimentum Magni Ducis Hetruriæ, a celeberrimo Boerhaavio in ſuis Inſtitutionbus Chemiæ notatum, quo aqua per poros Globi, ex auro puriſſimo confecti, dein clauſo exactiſſime orificio, prælo vehementiſſime compreſſi, transſudare eſt viſa. Quomodo (vos Judices æquiſſimos hac in re conſtituto A. A.) quomodo particulæ aquæ, ſi ſcabræ aut ramentoſæ fuiſſent, anguſtiſſimos auri omnium metallorum ſolidiſſimi poros pervaſiſſent?

Eidem ſententiæ ſuffragantur obſervata Practica. In morbis convulſivis & ſpaſmodicis univerſalibus, nec non particularibus Renum in colica, calculo, ſpaſmo hyſterico viſcerum abdominalium, ſæpe urina cryſtalli inſtar limpida, inodora, & inſipida, verbo, ſimpliciter aquoſa per conſtrictos Renum canales ſecretorios transpreſſa evacuatur. Ratio harum obſervationum clara & palpabilis eſt: quia canales adeo conſtricti invaleſcentibus dein hisce morbis penitus occlu-

Google

dendi, non niſi politiſſimam ac tenuiſſimam humorum noſtrorum partem tranſmittere poſſunt, aquam nempe. Et cum vaſa noſtra ne collabantur, aliquis humor perenniter pertranſire debeat, minima vero tenuiſſimus tantum permeare poſſit, veritas ſtat inconcuſſa, aquam liquidum eſſe omnium tenuiſſimum, ad minima quævis vaſcula penetranda, emollienda, eorum concretiones impediendas, ac, quod in prima hac parte probandum erat, conditiones Organorum, quæ ad vitam requiruntur, quam diutiſſime conſervandas aptiſſimum; nec minus etiam ad conditiones humorum vitalium, quod in altera parte nunc examinandum.

Quodſi conditiones humorum, quæ ad vitam robuſtam conducunt, ita etiam ad longævam conferrent, lubens concederem, Elixiris vitæ, proprietatis, aliisque jactatis arcanis, quæ humorum impetum adaugent, poſſe vitam prolongare. Verum obſervata teſtantur fidiſſima, vitam robuſtiſſimam, ſeu duris continuo laboribus, aut motibus vehementioribus occupatam, ſeu calidis potibus aut remediis incitatam, numquam admodum longævum eſſe. Rationem hujus obſervati in prima parte oſtendi: quia ab eadem cauſa, aucto nimirum liquidi arterioſi, a corde impulſi, impetu, vaſa majora nimium diſtendente, minora comprimente, unde robur vitæ dependet, etiam rigiditas ſenilis, ceu cauſa mortis naturalis, acceleratur. Quapropter quod conditiones humorum ad vitam requiſitas in ſecunda hac parte attinet, in iis longævitas quærenda eſt, quæ cauſas nimii humorum vitalium in vaſa arterioſa impetus arcent continuo, avertuntque. Hujus impetus vitalis validioris cauſæ internæ humorales ex legibus hydraulico - Mechanicis eruuntur duæ potiſſimum, denſitas

ſitas

ſitas nempe humorum, & plethora. Primum de denſitate humorum, dein de plethora mihi eſt dicendum, &, quantum ad eaſdem arcendas ſalubris aquæ potus valeat, demonſtrandum.

Denſitas humorum, uti aliorum corporum, eſt quantitas maſſæ, ſeu materiæ, conſiderata ad volumen ſeu ſpatium, quod occupant. Denſitate autem & celeritate æſtimatur magnitudo motus, ſeu, ut Mathematici loquuntur, conſideratur in ratione compoſita Maſſarum, & quadratorum velocitatum. Eadem proin Regula etiam impetus humorum, a corde impulſorum, menſurandus, eoque major cenſendus eſt, quo humores a corde impulſi ſunt denſiores, ſeu compactiores. Ad hæc ex ſtructura conica arteriarum, ac conſtanti lege Machinæ humanæ hydraulicæ conſtat, in homine etiam ſaniſſimo ſanguinem per extremas vaſorum anguſtias cum naturali quadam difficultate trajici, hinc cordi naturalem puni reſiſtentiam, & impetum humorum, a corde impulſorum, tanto magis augeri, quanto difficilius humores denſiores, ſeu compactiores, in minimos globulos, qui ſolitarii per extremitates arterioſas tranſire debent, dividuntur.

Pariter ex arteriarum pulſu certiſſimum eſt, majore ſanguinis impetu in vaſa majora eorum latera ab axi validius removeri, urgeri, premi, & minora vaſcula, per majorum membranas contexta, naturali neceſſitate comprimi, exſiccari, conſolidari. Unde recta ratione concludo, inter longævitatis remedia illud inprimis numerandum eſſe, quod impediendæ nimiæ humorum denſitati, ſeu quod idem eſt, conſervandæ diutiſſime eorum fluxilitati par ſit.

Jam (quæ ineffabilis Dei Bonitas eſt) conſervandæ de-

bitæ

bitæ humorum fluxibilitatis vim ſoli aquæ a Deo Ter Opt. Max. fuiſſe inditam, brevi mecum ſentietis A. A. ratione & experientia convicti.

Elementum aquoſum in omnibus corporibus etiam ſolidiſſimis contineri, nemo Philoſophorum contravertit. Aſt ejusdem copiam in corporibus determinere ſoli norunt Chymici, ac Medici Chemiæ periti. Oſſa viginti aliquot annorum tractu exſiccata, inſtar ferri dura, chemico igne diſſoluta, dimidium aquæ ſuppeditant. Experimenta vero, cum humoribus corporis humani facta, eosdem maximam partem aqua conſtare irrefragabili ſenſuum fide teſtantur. Celeberrimus Fridericus Hoffmannus in ſanguine hominis ſani tres fere partes liquidi, & unam ſolidi circiter (nam victus & temperamentorum diverſitas experimentorum ſucceſſum quodamodo mutat) obſervavit: dum ex unciis ſex & drachmis quinque ſanguinis ſubſtantiæ ſolidæ unciam unam & drachmas ſeptem, dein in alio experimento ex unciis ſeptem & dimidia ſanguinis ſubſtantiæ ſolidæ uncias duas, & drachmas duas extraxit. Illuſtris Boyle in hiſtoria naturali ſanguinis ex ejus unciis quatuor & drachmis quinque ſolidi unciam unam, drachmas tres, & grana 34. eduxit. Incomparabilis Boerhaavius in ſuis inſtitutionibus Chemiæ cum ſero ſanguinis experimenta inſtituit, atque ex ejus ſex partibus quinque fero aquæ limpidæ deſtillando extorſit. Similibus experimentis urinas hominis ſani examinarunt varii Medici. Hos inter ſolertiſſimus Laurentius Bellini urinam hominis ſani per varios denſitatis gradus evaporando inſpiſſavit, dein affuſione quantitatis aquæ, quæ antea evaporata fuerat (mirum dictu) ad colorem denuo citrinum, ſtatumque cuivis urinæ naturali

omni

omni proprietate ſimillimum, reduxit. Ex his, abſque compluribus experimentis, quæ brevitatis cauſa prætereo, liquet, opinor, fluxilitatem noſtrorum humorum a ſola aqua, particulis ſolidis intermixta, unice dependere, & ad reparandam, quæ actionibus vitæ quotidie diſſlatur, partem aquoſam noſtrorum humorum, eorumque impediendam denſitatem, demonſtratam majoris vitalis impetus cauſam, ſolum liquidum aquoſum, nec vinum, nec cerevifiam, aliumve potum requiri, ac indicari. Reliquum eſt, ut plethoram alteram cauſam humoralem validioris liquidorum vitalium impetus, & peculiarem aquæ ad eam præcavendam utilitatem paucis perpendam.

Impetum aquarum motarum aucta earum copia, vel abſoluta in iisdem numero canalibus, vel reſpectiva in canalibus, quorum nonnulli occluſi vel anguſtati ſunt, augeri, immutabilis hydraulicæ lex eſt, nemini ignata, cui vel ſemel videre contigit Machinam hydraulicam, &, obturatis nonnullis fiſtulis, auctum per alias adhuc pervias aquarum impetum, ſaltumque.

Iisdem hydraulices legibus (non obſtante cordis & vaſorum vitali ſyſtole, ut primaria motus humorum cauſa) corporis etiam humani liquida ſubjecta eſſe probant directa in corpore etiam moraliter ſano phœnomorum obſervata. In corpore ſano omnis acrimoniæ experte, ſola plethora verſus tempus venæſectionis conſuetæ pulſum naturaliter majorem & velociorem efficit. Eadem plethora ſine alio ſtimulo per auctum circulationis impetum in corporibus puris hæmorrhagias ſalutares producit. Non minus luculenter impetus ſanguinis venæſectione emiſſi gradatim decreſcens monſtrat leges

plethoræ hydraulicas. Atque ut paucis rem dicam, de qua hic potiſſimum agitur: impetus a plethora productus per majorum vaſorum diſtenſionem nimiam minora comprimendo naturali neceſſitate ſenſim rigiditatem ſenilem corporibus inducere debet. Illud ergo (infero) quod plethoram præcavet, rigiditatem ſenilem arcet, vitam prolongat. Sed quid illud? ajo: ſola diæta legitima, atque ex ea potiſſimum aquæ potus; quod oſteodo.

Pondus humani corporis, & molem humorum in ſtatu etiam ſano augeri vel minui proportionate ad incrementum vel decrementum excretionum, potiſſimum perſpirationis, Sanctorius immortali poſteritatis memoria digniſſimus ſtaticis Experimentis demonſtravit. Ex octo libris cibi potusque intra diem naturalem quinque circiter libras humoris perſpirabilis difflatas notavit Auctor prælaudatus, quod nemini mirandum videbitur, qui certam perpenderit experimenti Sanctoriani fidem, qua conſtitit, intra diem materiæ perſpirabilis ſemilibram circiter per ſolum os excretam fuiſſe, teſtantibus guttis in ſpeculo ori admoto.

Humor perſpirabilis, qui guttatim in ſpeculo collectus fuerat, omni experimento examinatus, liquidiſſima ſeu aquoſa ſanguinis pars, pauciſſimo elemento ſolido impregnata, manifeſto deprehenditur. Hoc quisquis attente conſiderat, ac virtutes aquæ, vaſa aperientem, & humores attenuantem, exacte trutinat, cæcus profecto ſit, qui potus aquoſi utilitatem non videat, ad excretiones humorum, in primis perſpirabilium, promovendas, & ita plethoræ materiem identidem averruncandam.

Hæc quam vera ſunt, aptaque, ut confido, ad demon-

ſtan-

ſtraudam aquæ puræ ſalubritatem; ejusque potum vobis commendandum. A. A. Multo tamen efficaciora ſunt ipſa veritatis exemple, ac viva teſtimonia, ſenes intelligo non paucos, atque ex iis etiam decrepitos, qui longævitatem ſuam, & peculiare corporis animique robur, quo pollent, diuturno aquæ potui in acceptis referunt. Ut taceam tempora antediluviane, & maximam longævitatem illorum hominum ſine potu vini: quis naturalem hujus rei poſſibilitatem ſibi perſuaderi ſinet, qui omnem hactenus vitam ſine guttula aquæ conſervavit? Sed animadverto in plerisque veſtrum contranos motus, ſenſusque a meis longiſſime alienos. Quid (cogitant ſecum) ſalutis anchora, cynoſura longævitatis, aqua vitæ prædicetur, latex aquoſus, prima illa generis humani per diluvium ruina, illa putredinis concauſa neceſſaria, illud caloris vitalis in ſenio jam elanguentis exterminium?

O quanta mortalium ſunt præjudicie! quanta vis ſenſuum, ad rationis usque obſcurationem! dico ſincere, quod ſentio: ſi aqua inſipida non eſſet, oſoribus aquæ nihil certe noceret. Plus dico: affectatæ ſunt noxæ, quas aquæ adfingunt plurimi, qui tota vita anteacta vix labiis aquam tetigere, effectuum proin, quos producere poſſet, plane ignari. Dolendine ſint, an ridendi ejusmodi homines, ambigo: hoc tamen ſcio, ſuismet illos decipi præjudiciis, ac plurimos præmature jugulari, quos aquæ potus longævos ſervaſſet. Hydropicis videntur comparandi in eo, quod Hydropicorum inſtar aquam falſo vituperent, illud, quod Jonathas olim de pauculo melle deguſtato, de aqua diſpari ratione ingeminantes: guſtavimus paululum aquæ (crediderim, ſed plurimum vini) & ecce morimur aqua. Dein cum innumeris celeberrimis

rimis Medicis fidenter aſſero, a Noëmi temporibus incomparabili numero plures vini, quam aquæ, diluvium ſuffocaſſe.

Quod de humido, ut cauſa putredinis, objicitur, hnc plane non ſpectat: quia aquæ potum ad retardandam mortem naturalem, non morboſam, commendavi. Inſuper falſo hæc objectio laborat ſuppoſito: ac ſi mortis, e morbo enatæ, cauſa neceſſaria ſit putredo. Namque putredo ſæpe mortem morboſam non antecedit, ſed ipſius mortis effectus eſt.

Vim aquæ nimis refrigerantem, igniculos vitales alias in ſenibus non admodum copioſos, extinguentem, refutat quotidiana experientia: quot ego novi Senes, ſeptuaginta & plurium annorum, alares & vegetos, qui quotidie aquam etiam largiorem potarunt, imo frigidiuſculam. Experientiæ ratio ſolida ancillatur: nam vita ſenum æque, ac juniorum a circulo ſanguinis, circulus a debita ſanguinis fluxilitate ſeu tenuitate, tenuitas a ſufficiente aqua particulis ſolidis ſanguinis intermixta dependet. Quod ergo circulum ſanguinis conſervat, ipſam vitam conſervat, ſeu calorem vitalem. Hæc ego non ita dicta, aut a vobis intellecta velim, ac ſi ſenibus eam quam junioribus, aquæ quantitatem, aut nulla temperamentorum habita ratione, potandam eſſe exiſtimem: cum non ignorem, liquidum aquoſum, utpote pauciorem ignem continens, largius ingeſtum ſanguinem humanum refrigerare. Alios audire mihi videor: innumeri ſunt ſedentarii, inprimis litterati, nec non artifices, atque etiam plebæi, ſola manuum opera, eaque leviſſima, occupati, quibus aqua etſi moderatiſſime pota non poteſt non nocere, utpote omnis ſtimuli expers, hinc tarde canalem inteſtinalem percurrens, eundem alias in ſedentariis debilem magis diſtendens, flatus producens, digeſtionem lædens. Tela,

Tela hæc, quam ſpecioſa, ac fortia incautis videntur, tam facile enervantur obvertendo Clypeum certiſſimæ experientiæ, ac ſolidæ rationis. Conſtans hactenus experientia docuit, Viros Religioſos, maxime longævos extitiſſe, non ob medium, ut forte nonnulli putant: quia eosdem Divino Servitio impares redderet, ſed potiſſimum ob parciorem vini uſum, præprimis in Religionibus rigidioribus, ubi vita agitur magis ſedentaria ac contemplativa. Præterea inter homines etiam ante diluvianos multi fuere ſedentarii, ſenes connaturaliter debiles, quibus tamen omnibus aqua ſufficiebat ad longævitatem. Rationis trutina ſi Objectionem hanc examino, nihil prorſus contra ſententiam meam probat, in qua ſanis, non morboſis aquam commendavi, & quidem prudenter potandam, hinc parciorem ſedentariis, ſenibus, natura tenerioribus. Inter ſanos non ſunt, quos moderata aquæ copia lædit.

Quapropter cum luculenter intellexeritis A A. aquam puram pro temperamentorum diverſitate quotidie prudenter potam, moderate frigidam, conſervandis quam diutiſſime conditionibus organorum & humorum, ad vitam requiſitis Flexibilitatis nempe, & permeabilitatis vaſorum, fluxilitatis ſeu tenuitatis, ac mediocris copiæ humorum, aptiſſimam eſſe: Dubitabitis, quin in meam concedatis ſententiam, eandem Princeps eſſe longævitatis remedium, atque adjumentum? Haud equidem ego ita hæc velim intellecta, ac ſi omnem vini uſum rejiciendum putem. Scio dari non paucos, qui, ſi non ad longævitatem, uti in hunc finem plane non indigent, ſaltem ad quasdam actiones vitæ uſu vini indigeant moderato. Hos ego nequaquam carpo, ſed tantum hortor, ut moderatæ vini copiæ moderatum pariter aquæ potum jungant, quo ſi-

ne longævitatis præjudicio carere non poteſt corpus humanum. Denique eos omnes, qui longævitatis amore compulſi aquam aut ſolam, aut vino interpoſitam, potare ſtatuerunt, obteſtor ſincere, ut in menſa eandem hauriant, Chylo dein intimius permiſcendam, nec adeo cito diſſlandam, & mature hauriant, antequam rigiditas vaſorum invaluerit, nullis dein amplius remediis emollienda.

Dixi.